DE ANATOMES BONO DISSERTATIO INAUGURALIS ALOYSII...

Luigi Scoffo

DE

ANATOMES BONO

Dissertatio Inauguralis

ALOYSII SCOFFO

VENETI

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXXXIX.

ALLA CARA MEMORIA

DI

GIUSEPPE SCOFFO

MEDICO FISICO

DI FRANCHI MODI E VERAMENTE FILANTROPO

DELLA SCIENZA VALOROSO

DELLA LETTERATURA VERSATO

DELLA POESIA VIVACE

CULTORE

CHE MORBO EPIDEMICO NELLA CURA DEGLI EGRI

CONTRATTO

OTTILUSTRE ALL'AMOR DI DUE INFANTI

RAPIVA

QUESTO PRIMO FRUTTO DE' SUOI STUDII

IL MINOR FIGLIO

CONSACRA

O PADRE MIO

SORREGGIMI NELLA DIFFICIL CARRIERA

CHE TU COL GENEROSO SACRIFIZIO DELLA VITA

COMPISTI.

Nescire quid antea, quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum; nescire prorsus, cum natus sis, quid tandem sis, id erit numquam esse hominem.

Cicero

Divino prorsus consilio factum est, ut vis illa rerum omnium artifex, caecam suis quas condidit rebus noctem offuderit, suisque recessibus occultaverit, eo nempe, ut homines iis omnibus uterentur, divinamque venerarentur opificem. Conantur ii tamen cuncta perscrutari, rimari, rationesque modosque rerum, causarum et effectuum mirabiles nexus intelligere; qui id sedulo agunt philosophi, et sunt, et nuncupatur. Philosophia nempe ex iis, quae sensus percellunt, haurit ideas, connectit, auget, animisque nostris vires, speciesque corporum pingit, eorumque proportionem inter se, ordinemque alterius ad alterum, et in homines influxum demonstrat, explicat, suis quaeque ideis, quodammodo picta. Mentis ideas in subiectis corporibus, quasi in tot

tabellis expressas, duce experientia inquirimus; tum demum scire aliquid putamus cum nosse possumus, oculis manibusque pertractare. Quid ni ita sit? Non res, sed rerum imagines animo complectimur, umbras persequimur, libentius, pene dicerem, rerum Manes. Sine experientia, rerum natura nobis esset ac pio Aeneae:

Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae.

Dolendum aeque quod

Ter frustra comprehensa manus effugit imago
Par levibus ventis volucrique simillima somno.

Agedum, quod per sensus assequimur, vel id tantummodo in natura verum, vel id utile verum. Hoc tandem est haurire, scireque naturam. Quae cum ita sint mihi gaudeo; nam quam collaudare aggredior scientia, corporibus inhaeret, corpora inquirit, corporum scientia, suo quodam nomine, dicenda est; eaque evidens, utilis, lata, ingeniis clarissimorum hominum exculta, verbis illustrata, commentariis commendata, quodque potissimum est felicitati hominum tuendae, et amplificandae, et eorum ingeniis ornandis, a Deo Optimo Maximo hominibus data. Quae tandem est ea? Antropologiam vocant physicam cognitionem humani corporis, et barbariori vocabulo physicam animalem. De ea dicendum non una oratione et spiritu. Quid si immorer ejus historiae enarrandae, et a teneris ejus unguiculis eam ad robustiorem sequar aetatem; minutiora colligens et commentans quae de ea in die dicta sunt? Quid si in lucem vellim proferre penitus immensa, quae e tenebris eruta voluminibus

immodicis credidere scriptores? Vos tantummodo hoc tenete auribus et animis effatum: Anatomes securitati hominum et ornamento a Deo concessa, ab hominibus exculta est. Quid dubitem, quin me dicentem omnibus ornetis officiis, si inter tot humani generis aerumnas et pericula, si inter tot hominum vitae, et famae structas insidias, tutos, beatosque et honoratos Vos esse velim?

Jam singula suis tribuantur partibus, id ordinis ratio expostulat. Quid rei est corporum hominum scientia? Quot concluditur partibus? Quae rationes ejus ad alterum? Anatomen graeci vocant, nos Sectionem vocamus; ea quippe solvit, secat, disjungit corporis humani membra, eaque minutiora, nervulos, fibrillas nempe, quaeque etiam oculorum aciem effugiunt Microscopii ope detegit. Corporis structuram, partium vel minimarum ligamenta, aptitudinem alterius ad alterum, quibus simul fulciantur viribus, quibus invicem repellantur, qua divina prorsus ope motus, quietemque apte sibi comunicent singulis, vitamque tueantur, et actiones excitent, moderentur, conterent, Anatomes edocet. Practica dicitur, si manibus, gladiolis, aere, igne, liquoribus, iisque vel exsiccantibus, vel balsama stillantibus, adeo ut comprehensa macerescunt corpora, et syphunculorum injectione particulas corporum alias ab aliis secernant; theorica et haec aut descriptiva aut generalis, quae ex iis quae oculi vident, manus pertractant, veritatis effata, praecepta eruit, colligit, ordinat, fundit, aliaque ab aliis colligata solvit, immixta secernit, apteque deducit, et modo histo-

ricum agens modo philosophum, graphice narrat, pingit, subtiliterque ratiocinatur, et edocet auditores. Una ab altera munere distinguntur, comuni vocabulo Anatomes appellantur. Jam tandem inquirendum, utrum ex ea felicitas, et securitas hominum oriatur. Quid plura? Hominem inspicit, perscrutatur, tuerique hominem, sanitati et incolumitati prospicere suum est ita, ut primum alteri nulloque concedat; ei igitur hominum securitas et felicitas credita est. Securitas hominum credita et felicitas? Quin possum hoc loco exilire, et dignitatem Anatomes commendare, munusque praestantissimum extollere? « Homo, ait Tullius, eximium » animal, naturae opus quo nihil praestantius. » Humani corporis fabrica iis distincta et suffulta partibus, ut eminens quodam divinae prorsus artis specimen praeseferat, et ostentet. Ratio regit, spiritus alit; caput, oculi, frons, supercilia dominantur; ferarum volucrumque generi regem obiiciunt; iique, eaeque, et pertimescunt, et venerantur. Atqui tantum opus quod supereminet omnibus, subditur Anatomiae; illud caetera, haec illud regit; hoc omnibus, illa huic, praeficitur. Proh! scientiae dignitas quam vix cogitatione assequi possumus! Quid si tantum opus Anatomiae detur, ut tueatur et ornet! Ajo nempe saecuritatem ornatumque hominis soli commissum. Tutum, inquam, reddit et incolumen.« » Nostrum, ut ait Linnaeus, si attendamus corpus, » in eo unumquodque membrum sua gaudet nec- » cessitate, nostramque constituit perfectionem. » » Humana macchina, ait Boyssier de Sauvages, ita

» a summo Numine est fabrefacta, ut singulae par-
» tes et actiones ad totius conservationem, seu tu-
» telam mirifice conspirent. » Quod cum ita sit, ars illa tutum reddit, quae suis membra omnia officiis partesque muniet, et excitet, contineatque. Quis hoc obtinet, nisi Anatomes, quae penitius res minimas corporis perspicit humani? Quam late haec pateat disquisitio et introspectio vix dici potest. Scilicet ea primo humanum solvit corpus in membra, membra in minusculas partes fibrarum, nervorum, fasciculos colligit, ossa, venas, musculos, cartilagines, membranas earumque colligationes introspicit, et sedulitate exquisita oculorum, abditiora deducit, et contemplatur; hinc corporis fabricam, substantiam, meccanismum, legesque quibus stat et movetur, et circumducitur, et viget, et tabescit, corruit exsurgitque et singulis pene horis per effluvia avolat, et deficit; continuo ex cibo potuque, et conflato ex iis sanguine hauriens; quo renascatur et conscrescat. Id non solum animam erigit ad mirabile naturae spectaculum, sed acuit, ut videat, quae ad corporis maxime faciant conservationem et incolumitatem. « Huc tandem reddit physicus, ait Coc-
» chius in sua praelectione Anatomica, ut cogno-
» scat specierum, et imaginum causas in hac rerum
» universitate, aut veritatis detegendae spe ductus,
» aut gustu quodam sciendi allicitus, aut usibus hu-
» manae vitae providens, et singillatim animorum
» tranquillitati prospiciens. Potior hinc erit cura,
» eam physicae totius partem arripere, quae sensus
» motus, faecunditatem, nutritionem, interitum;

» quae omnia homo sunt et animal. » Quo loci cur non irascar pluribus qui Medicos detestantur, artemque rident medicam, neque eorum consiliis acquiescunt? Nonne imperiti homines sibimetipsis irascuntur, vitamque indignantur incolumen? Propria ignorant corpora, quae sanitati faciant, vel obsint, quibus hebetiores fiant vires corporis vel robustiores nesciunt, quibus usibus apta sit quaevis humani corporis pars. Nonne et generosi homines, nobilioresque faeminae populari rapiuntur impetu, et ciunt turbas, et miscent, eadem freti in semetipsos saevitie et proprii corporis ignorantia? Si se scirent cognoscerentque, divinam suspicerent artem, quae ex humani corporis cognitione tracta illud servat, reficit, e tumulo quasi revocat ad vitam. Oh! si a teneris unguiculis, adolescentes iisce anatomicis, prout aetas patitur, instituerentur notionibus, quam melius id cederet heminum felicitati, quam si historicis, geographicis, grammaticis etiam litteris, per longam nimium diem terantur, ut assolet, tenella ingenia! Vitia corporum, animi perturbationes, et quasdam nimis expeditas proclivitates refert vix maerens Historia, patitur Geometria, nec noscit Grammatica; sola, inquam, indignatur et caret Anatomia. Sed nulla sint haec tanta nihilominus ratum sit: « quod nescire quid antea, quam na-
» tus sis, acciderit, id est semper esse puerum, ne-
» scire prorsus, cum natus sis quid tandem sis id
» erit numquam esse hominem. » Nec impetu quodam orationis nunc rapior invitus, nec amore quodam novitatis impellor. Ratio tracta a Numine naturae,

a clarissimorum hominum sententiis confirmata huc me impulit, ut haec disererem. Celeberrimum Cocchium seligam unum, qui sic effatur de usu Artis Anatomicae: « vident profecto soli Anatomes studiosi quam levi principio, vel infirma valetudo, » vel gravissimi plerumque morbi oriantur, et quam » facile saepe vitari possint, si boni serventur mores, quos scilicet nec dissidia, neque luxuria vitiaverit. Cum autem nemini melius pateat, quam » certa sit cito moriendi necessitas et intima corporis, quam caduca adeo, ut neque imbelles, neque delicatuli valeant effugere, aut quae nos undique fata circundant, facile crediderim, ex hoc » spectaculo bonos et fortes fieri adolescentes, ut » mortem etiam contemnant, in quo summa virtus » hominum sita est.» Jgitur Anatomes hominum incolumitati concessa. Perbelle Cicero: « Notitia sui » corporis et observatione sustentatur valetudo. » Quid si eadem ars morborum interitusque causas detegat, ita ut subitae mortis ratio, morborum occultiores insidiae, frustra se illi occultare conentur? Si noscantur arma, quibus nos saeva mors aggreditur, facile et saepius retundere poterimus; atqui Anatomes noscit, illa ergo retundere potest, illa ergo hominem a morte eripit. Noscit, inquam, Anatomes interitus arma, et ea quae venenis obruuntur, et ea quae inferuntur vulneribus, et ea, quae tenebricosis causis occultantur. Noscit Anatomes generandi inaptitudinem, momenta faetus fundendi, abortus naturam et vices, simulatorum partuum insidias, faetus vitalitatem, infanticidia, et hu-

jus generis alia; hinc peritos in hac arte exoptamus non Medicos tantum sed et Juris consultos, et Caussidicos, et criminum Vindicatores, et Judices. Noscit et tum praesertim cum cadavera secat, quaenam sit causa interitus vel occultissima; ea nempe nonnisi in foetore, et sanie cadaverum declaratur plerumque, in iisque tantummodo conquirenda. At progredior; non solum Anatomes detegit quae sint arma retundenda, sed homines instituit, et fingit qui retundere norint, Medicos ajo. Summa laus Medici, Anatomicis penitus ornari studiis. Nullo quippe firmiori nititur fundamento medica ars, quam si corporis partes humani, earumque munera, robur, actiones, usus, motusque sciat. Qui morbos cognoscere velit, ait Anglus quidam Medicus, Anatomen cognoscat necesse est; alterum quid nesciat, ignorat et alterum; adeo ita sancitum esse opporteret, ut nemo auderet curationem corporis sucipere, quin structuram ejus, formam, partesque, claranotione pervaderet; non enim macchinam perficere potest is, vel refieere dirutam, si oculos, aciemque eorum effugiat. Quanti sit hoc paulo diligentius videamus. Principiis philosophicis ducimur, ut sedula observatione omnia circumspiciamus, tum Medici practici fimus; iis si addantur praecepta Anatomes, et ex ea ratiocinationes, ars erit firmo tuta ratiocinio. Illa series exhibet analogiarum, experientiae repetitae probant, physica illuminat, haec aptat subjecto corpori et individuo, illa theorias invenit, quae hominis naturae vix, aut ne vix quidem faciunt, haec revocat theorias, observationem, et experientiam ad

rem. Exulant hinc hypotheses, et phantasiae commenta, quibus nonnulli medicam artem scatere passi sunt. Locum tenent aequius meccanismi animales, functionum scientia, minuta et accurata systematum historia, et plura physiologica quae brevitas negligit. Exulat hinc color ille, fraus medica pervetus, quae medicamentorum immensa prorsus turba, semper constipata, dum ore pleno, erectoque collo barbara vocabula eructat, et arcanum nescio quid eloquitur imperito Medico, et praesentium stupore, accit venerationem et cultum. Locum tenet simplex hodierna eaque suavis, et expedita, et rationalis medendi methodus, quae morbos penitus dignoscens, exitus praedicens, ut magis fas est, morbi varias in dies facies aperiens, periculosum plenum opus aleae, inutile quid et dispendiosum tulit, evertit, profligavit. Hactenus quae sanitatis humanae pars Medicorum est; nunc ea quae tota Chirurghis expedita. Nemo enim ignorat, quam belle, et tute, etsi in atrocitate lenitas concipi potest, quam leniter Chirurgicae manus secent, terant hominum corpora, eaque omnia praestent, quae vel omissa, vel imperite praestita, funera rogosque miseris olim quotidie parabant. « Quam barbari olim „ pectora Chirurgorum? Non exorato stant ada- „ mante viae; „ de iis jam a priscis temporibus Propertius canebat. Horrebant effuso cruore, nervos contundere, secare, membranas incidere, avellere, quin et ossibus ictus infligere, et medullis, et igne vivas carnes adurere; heu quanto vitae periculo caedeque hominum! Stet igitur: tutum hominem,

securumque per studium Anatomes reddi. Nunc quonam modo excolat et ornet videamus. Amoenior haec pars erit faciliorque excurret oratio.

Ornat Anatomes, et primo quae hominum nobilior scientia excogitari unquam potest ea, quae hominem homini detefacit et demonstrant? Nulla inquam. Vegetabilium corporum naturam, folias, fructus, succos, cortices scimus; fodimus viscera terrae, et metalla fodinis extrahimus, praetioso ex illis aere confecto laetamur; animalis regni fines pervadimus omnes, et feris, et volucribus, et piscibus insidias struimus, ut sciamus; nec sylvarum recessibus, sinubusque maris curiositati hominum rapiuntur manuisque effugiunt. Ornari et excoli iis credimus hominem quanto magis, hominis ipsius solerti consideratione! Si laus est, obscuriora illa nosse, summa laus haec excellentiora: excellentiora inquam, eo semper, eoque magis, quod animalis regni et animantium, quae in eo sunt, cum humano corpore similitudines, disparitates eruantur, modumque quo ab iis avolant, quasi abreptae ideae et in nos infliguntur, percipimus. Ratum igitur, firmumque sit, quod vel non acuenda sit oculorum acies in reliqua animantia, vel si curiose in illa, curiosius et firmius in hominum inspicienda natura figenda sit, qua nihil sit in immensitate prorsus naturarum mirabilius et praestantius. Id et Boyle pluribus commendat, ut refert Langrisius: „ si vitia morum et effraenata „ sensus licentia nos non redderet adhuc haebetes, „ ratio; doleret ratiocinans mens sane, se nescire „ donum quam excolet, et per quam ea cognoscit

„ quae circumstant.„ Ac plura attendite ac sublimiora. Ornant homines tam variae, acutae, elegantes scientiae, Physica nempe, Hydrostatica, Hydraulica, Metaphysica, Astronomia, et, si quae sunt, reliquae. Anatomes iis omnibus sui studiosum imbuit. Nihil opus est exemplis hoc facere longius, est enim perspicuum. Naturali gaudes historia? Quae pars pulcrior ea quae vitia humani organismi denunciat? Metaphysicis speculationibus delectaris? Quae sint fibrillarum cerebri mollissimae quae contentae et adductae, quomodo aliis aliae nexae, quomodo nervis subtilioribus in tota universitate membrorum aptae, ut in animo, excitatis ideis, et sui cuique fibra tremitu consonet, et in corpore accitis motibus, ea quam celerrime animae deferat, ita inquam, ut a motu animae pulsae quodammodo sonent, ut nervi in fidibus, et anima a motu fibrillarum excitata ideas proferat; ut fidium voces Anatomia docet, et ut elegans ille:

Di ciò ch' ell' ode, o vede, o gusta, o tocca
Tenace impronta in lei s' imprime e stampa.

Enim vero sine Anatome Metaphysica otiaretur in contemplatione animarum. Quid plura? Corporum elementa tradit Physica, et primum confusa, in ordinem postea adducta, mente divina et copulata simul variis nexibus, ita ut ex diverso eorum concursu diversae exurgant corporum species. Praestantioris corporis elementa tradit Anatomes. Miratur Hydraulicae macchinae ingenium ad exprimendam aquam e fistulis, et in elato pellendam? Mirantur póndera se se invicem in altera lance su-

stentantia ad aequilibrium? Mirantur et fluidis quae innatant corpora? Difficiliora mirere in Anatome. Quanto artificio sanguis e corde per arterias mittitur, et in omne corpus diffunditur, et quam celerrime aberrans, redux tandem per venas influit in cor! Quam aequa vi se fulciunt ossa! Quam belle suis circumdata humoribus, et mergitur et supereminet pupilla! Miraris terram et planetas se summa celeritate circa solem convertere et torquere, lunasque suas cuique famulari et subsequi; sydera quae suis fixa locis fraude nocturnas mutationes mentiuntur; et hinc vicissitudines dierum atque noctium, quadripartitas temporum commutationes; Solem omnium moderatorem ac ducem; Lunam adauctione, et diminutione luminis notantem dies; candorem caeli stellis ornatum; terram eminentem a mari, et in terra homines stantes, adversis contra vestigia vestigiis, idque adeo undique aptum, ut nulla senectute et diuturnitate temporum dilapsum occidat? Anatomes horum omnium speciem exhibet in corpore humano, et in fronte hominis, veluti in arce sitos oculos, ut ea contemplentur, quae hominem circumstant, et animae e sua medulla fraena quodammodo regentis solidorum et fluidorum, quae intus alunt hominem, mireris imperium, cui serviant minuscula omnia, et si fas sit addere, mireris conversiones corpusculorum quasi ab altero sole dirigi et gubernari. At paucis expedio, si qua sunt reliqua. Agnosce in humana macchina vim prorsus divinam, quam facile solvi, turbarive possit! Quae sint vitia corporum et valetudinis conquassationes! Quanta hinc

moribus regula! Quanta hinc Politicis ars populorum sanitati, propagationi, viribus robori prospiciendi! Nonne conjunctiones marium cum faeminis, et aequam civium amplificationem fovere perinde esset, ac funera parare sepulcris, et non populos urbibus, sed urbium velle populationes? Hinc etiam excurret facilior et concitatior oratio in eos, qui falsas venditant de Deo, de homine, de natura doctrinas; facilior, inquam, ea quae ex academicis oritur cavillationibus, quin ex scolasticis Theologorum fontibus, nimiis, ehu! nimiis tenebris circumfusa! Si Atheus omnia sine Deo esse facta; si Epicureus per atomorum concursus, caecamque eorum coalitionem ex asperis, levibus, humatis, uncinatisque moleculis; si Stoici cuneta fato regi; si Deistae Dei majestatem deducere dedignentur et erubescant usque ad culicum, formicarumque perfectionem, et solertiam providi Numinis ad viperarum venena; nonne assurgeret flumen orationis, et, Anatomia duce, non fato, non casu, non atomis, sed divina aliqua mente infinita rem tam eximiam perfici potuisse ab eaque regi, gubernari quae fecerit summo consilio, doceret, demonstraret, eruditosque ad humanum corpus inspiciendum tantummodo provocaret? Efficeretque hoc inde gestiens et exiliens in eos: nihil sentire esse melius quam tam prava sentire; sed tamen cum de laudibus disserimus Anatomes, difficilius est exitum quam principium invenire. Ornatus pictoribus facit, architectis proportio, consonantia quaedam et musicis. Quid corpore humano ornatius, quid magis consonans, et aptum,

quid architecturae legibus magis subditum? Quid, si adderem, haec eximia et in humano cadavere notari? Perbelle Sauvagesius: " In cadavere vigent „ facultates vegetabilibus et macchinis hydraulicis „ comunes, ut gravitas, attractio, elasticitas, et quae „ ex iis forte pendent, fermentativus et putrefactivus motus, dissolutio, condensatio, pilorum et unguium vegetatio, fluidorum lapsus, et pressio versus imas partes, colorum et odorum et firmitatis „ mutatio. „

Haec enim apprime novit Heysterus cum ait: „ „ Est operum mirabilium supremi Numinis in corpore humano cognitio, et admiratio, cum artificiosissimae fabricae contemplatio, partium admiranda figura, connectio, communicatio, et actio, „ et usus, Creatoris non solum existentiam, sed et „ immensam et stupendam sapientiam manifestissime contra Athaeos demonstrent, et ad cultum ac „ venerationem ejus invitent; ideoque finis primarius Anatomiae gloria Dei esto; atque hoc sensu „ Anatomia phylosophica, aut physica, imo theologica vocari potest, omnibus vero sapientibus, ac „ Theologiae cultoribus utilissima.„ Hucusque Heysterus. Proh! quanta et quam vera barbaris pene verbis concluduntur! Minus dure et fracte celeberrimus Cocchius subdit: " Igitur ut universim politioribus hominibus, et ad augendam scientiam, et „ ad mores temperandos, opportuna est corporis „ humani exquisita cognitio, ita quorumdam praesertim facultas ea maxime crescit. „ Ne irascimini pluribus ex auctoritate in unum collectis. " Ra-

„ tio ea tandem est, ait Grotius, plurium ex con-
„ sensu illatio ex rationibus in unum coalescentibus
„ tracta. „

Sed jam satis de Anatome disputatum arbitror; jam satis ea incolumem ornatumque reddere hominem demonstravimus. Huc tandem pluribus disputata reddeant, aeque ac radii in acie oculorum pingendis rerum imaginibus colliguntur, ita huc illuc diffusa, quae de ea diximus, congerantur, formamque integram praeseferant scientiae, prorsus a Deo hominibus servandis, ornandisque concessae, paucis colligite. Anatomes aperiens, persecans, dividens, inspiciens corpora, ea penitus noscit; eorum vitia, si partes dissident inter se, et valetudinis perturbationes, vitiositatem tollit, morbos arcet, remedia parat, causas morborum extenuat, Medicos peritos instituit, mollit barbaras Chirurgi manus, interitusque arma refringit, tardioremque efficit moriendi neccessitatem; securitas hominum huic ergo credita. Ornat et hominem, et dignitate scientiae et foecunditate; nihil enim nobilius, quam scire seipsum; si te scias, naturas rerum omnium hinc agnosces, scientiarumque pene omnium in una Anatome penitiora reperies. Age tandem. Philososophus naturae recessus fodere, sui corporis praestantiam assequi, hominum vitam, felicitatemque tueri, ingenium excolere, ditare pluribus, humanum tandem genus ornare exoptat. Tanta haec, et tam magna in Anatome sita sunt; quippe quae securitati, et cultui humani generis a summo Opifice data sit. Haec iter arripiens dicenda, haec deflectens dicta videtis.

THESES DEFENDENDAE

I.

Textus cellularis in organismo est princeps; caeteri istius modificationes.

II.

Arteriolae, vel per anastomosim, vel in organorum parenchimate ad nutritionem parandam, vel ad particularem reticulum capillarem intermediarium constituendum finiunt.

III.

Anatomia, sive scientia corporis humani tam descriptiva quam generalis, praecipua ac integralis Medicinae pars.

IV.

Experientia docet artem bene in cadavera prospiciendi longam ac perdifficilem esse, sicut illa aegros bene medendi.

V.

Acidum Prussicum, quod per Chaemicam analysim ex sanguine obtinetur, productum est, minime eductum.

VI.

Symptomata laesionum index.

VII.

Febres nervosae deuteropathicae potius quam protopathicae.

VIII.

Morbi cutis et tubi gastro enterici philadelphice aluntur.